RESPONSIO

DOCTORIS FRANCISCI XIMENII GVILLEN AD APPENDIcem Exercitationis vigessimæ secũdæ, ab Auctore Marcenensi iam pridem in lucem editam.

Anno 1608.

CVM LICENTIA.

CVM tractatum quendam circa opportuna tempora ad euacuã dum in morbis ex fluxione ortis, typis mandandum curarem, fortè ad manus peruenit quædam Appendix medica, quam Auctor exercitationum multo antea parturiens, tandem octauo à conceptu mense non vitalem fecit abortum. In illa scribenda satis callidè segerit, verbis (vt solet) me cõtemnit, rationibus nõ conuincit. Facilibus objectionibus, & friuolis satisfacit quidem, difficilibus autem minime. In huius veritatis testimonium sufficiet examinare pro illo adductos testes: vt sic damnetur Doctor, qui cum multo Typographorum lucro, & pauco Medicorum fructu, in scribendis exercitationibus sese frustra exercet.

Obiectio 1.

SIT primus omnium testis eius responsio ad objectionẽ primã: in qua dubio procul ab omnibus medicis (nemine dempto) conuincitur, in vigoribus morborum, si adsit expostulans, posse sanguinem mitti.

Ab hac objectione facile, & paucis se expediret, si iuxta suam doctrinam, (quam Galeno, & medicæ scholæ falsò tribuit) responderet, non constare vires ad sanguinis misionem, nisi initio, & incremento morbi: ac proinde in vigore (etiamsi adesset expostulans) non esse sanguinem detrahendum; *In exerci. 22. fo. 12.*

 hendum;

hendum; non ob exposcentis, sed ob virium defectum. Sed quia, in salubris morbi statu tantam esse virium imbecillitatem, vt venæ sectionem non ferant, hactenus non probauit, nec probare poterit vnquam; vt telum sibi immissum retorqueret, nodumque hunc difficilem solueret, multiplicem solutionem machinatus est. Primò præter rem respondet vigorem illum non esse, sed initium, aut incrementum, cum objectio vigorem supponat, & insinuet quid in hoc euētu sit agēdū.

Nec objectioni soluendæ sufficit, quod secundò ait. *Abcessum in vigore morbi factum circa fauces, ortaque in corpore tubercula salutaria esse, nec remedijs indigentia.* Nam cum fauces (docente Galeno) ex capite fluentibus humoribus infestentur, potest natura ex ampla possibilitate, humoris aptitudine, & loci dispositione ad partes faucium internas, (quemadmodum solet ad externas) in vigore morbi expellere, & ratione partis in quam incubuit, periculum suffocationis afferre. *Interiora enim*, vt venustè Galenus dicebat, *Non sunt adamantina, sed ijsdē affectibus obnoxia, quibus externa.* Quo casu propter vrgentiam, & difficultatem respirationis, velis nolis, in vigore morbi sanguinem detrahere cogeris. Sic Hollerius Auctor non contemnēdus in huiusmodi abcessibus sanguinem mittit: *vbi adest spirandi difficultas*, & Cardanus acutissimus in com. dicit, *non esse sermonem in hoc Aphor. de ea fluxione ad fauces cū strangulantur in morbis acutis, vt neque de Angina. Absurdum enim* (inquit ille) *esset dicere tales nutrire.* Solū vt rectè censet Illephonsus Lopes Pincianus,

2. Aph. cōment. 15. — *Libr. de atra bile. c. 5.* — *In comm. Aph. cita.*

dele-

de leuibus affectionibus Aphorismus est intelligendus. *In suo Hippo. prog. nost. titul. quæ ad fauces. sec. 7.*

Nec ferendum est quod Doctor affirmat, Hippocratem tantùm in hoc Aphorismo locutum fuisse de abcessibus superuenientibus criticisq; non autem de incipientibus. Nam licet omnes interpretes cum Philothæo hoc primum fateantur, nullus tamẽ est, qui ad incipientes etiam eum non extendat: ita Antonius Musa (quẽ in suæ opinionis fauorem Doctor adducit) quãvis Philothæi sentenciam referat, ex sua tamen sic ait. *Possunt & hæc tubercula apparere (quod etiam in faucium ægritudine intelligo) vel post alicuius morbi inclinationem, vel corpore apparente sano. In his opus est excrementa inspicere, vude id ab Hipp. dicitur.* Hæc Musa. Et cum ait Hipp. *corpus vnà ægrotat.* Vbiq; in comm. exponit, *corpus ægrotare actu vel aptitudine* Idem sentit Hollerius passim dicens, *siue id fiat à iudicatione, siue sine iudicatione.* *Ibidem.* Ioannes Liebautius quoque eius scholiastes doctissimus his omnibus subscribit, dum ait: *Post crisin, aut etiam quovis alio morbi tempore in his abcessibus deiectiones esse inspiciendas.* Legendi Hugo, Vallesius, & alij. *In Aphorismis.*

Vnde merito reprehendendus est Doctor, qui iam senectutem medicam agens contemnat, deseratq; suos in praxi magistros: aliosq; medicos grauissimos, quibus (cum esset adolescẽs) communicauit, eo quòd scripserit: *Ab illis hunc aphorismum male esse acceptum, peiusq; praxi acómodatum.* Nam præter auctoritates relatas, ratio & experiencia ipsa quotidie in praxi hoc testatur. Passim enim inter curandum offerũt sese nobis homines, quibus absq;

alio manifesto morbo, fauces ægrotant, pustulæ, aut tubercula in corpore apparent, qui reuera nondum corpore ægrotant, sed ad morbum sunt parati. In huiusmodi ægris rationi, & Aphorismo consonum est, dejectiones, urinam scilicet, &c. inspicere: vt ita quod Hip. præcipit in Aphor. faciamus, & punctum quod vt summè necessariũ Doctor commendat, contemnamus.

Non possum deniq; non mirari quod tandẽ aduersarius jam conuictus, in hunc modum scribit. *Sed gratis dato quod superatis jam causis, vinceteq; natura, aliquid tale accideret, non vident adesse jam (qui deerat antea) scopum exposcentem, cuius superuentus venæ sectionem expostulat. Et quid ex hoc aduersus conclusionem tertiam?* Adeò cœcutit Doctor, vt non videat, medicos objicientes, posuisse exemplum in ægro in vigore morbi constituto. Cui præter primum morbum, objiciunt, posse contingere, vt abcessus aliquis v.g. Angina in faucibus interioribus superueniat, & tunc sanguis mittetur, non quidem ratione primi morbi (cũ non sit respectu illius à quo indicetur) sed (vt in tertia objectione latius dicemus) ratione alterius supervenientis exfluxione, nempe abcessus; & hoc est quod conuincit objectio, quæ directè concludit contra negantem in vigoribus morborum non posse adesse scopũ venæ sectionem exposcentem; amplam enim hanc possibilitatem amplus Doctor non admittit.

Quod si adhuc perseueret dicẽs, abcessũ hujus modi esse criticum, ac proinde non esse reuulsione impediendum. Respondeo ea ratione qua cri-

ticus eſt,id verum habere: quatenus autem in partem incubuit,ex qua periculum imminet, non eſſe ſinendum.

Obiectio.2.

AD ſecundam objectionẽ qua incuſatur,quòd in vigoribus morborum non conſtare vires ad ſanguinis miſsionem ſcripſerit,friuola eſt illius reſponſio. Nã ſi qua eſt ex Galeno in vigore morbi ſalutaris debilitas,illa,per eſſentiam nõ eſt, ſed per aggrauationem,videlicet Cacochymiæ onere adhuc natura grauata,& oppreſſa,vt in mea Apologia explicui. Quam diſtinctionẽ ab aduerſario repulſam fuiſſe maxime optarim. Sed qui tacet,ſatis laudat. Ne verò omnino conuictus videatur,*quidquid dixi*(inquit ille) *è Galeno exhauſtum fuit.* an bene, judicet lector. Quem rogo ante judiciũ, hæc Ioannis Lalamantii verba perpendat. *Criſes ideo bonæ ſunt,quæ poſt humorum concoctionẽ fiunt. Quia cum eo tempore natura victrix noxium, & inutilem humorem à benigno,& vtili ſepararit, vtilem quidem ad ſui nutritionem retinet,inutilem verò foras propellit, atque ſic onere quo grauabatur leuata, velut recreatur,&c.* Hæc Lalamantius. Cuius claram ac diſtinctam diligentiã, quam manifeſtam non Galeni, ſed eius expoſitoris negligentiam malo æmulari. Axioma verò medicum quo ſe defendit, *Nempe ad ſanguinis miſsionẽ non ſolum præſentes, ſed futuras vires inſpicere oportere.* Cum ſit Galeni, & omnium, concedendum eſt.

Cõmenta. in libr. 3. de diebus decret. cõme. 5.

Idque

Idque relinquitur exacto medici iuditio, qui ante venæ sectionis deliberationem, vires non solum præsentes, sed futuras perpendere debet, an scilicet facta vacuatione per sanguinis missionem in vigore, durare possint vsque ad morbi solutionẽ; an verò prius sint defecturæ (quod etiam in victu tenui instituendo conjectãdum præcepit Hipp.) Id quod credere est fecisse Vallesiũ, & omnes medicos prudẽtes, cum in vigore morbi ob aliquam vrgentiam, vel indicationem venas secandas jubent, facta tunc temporis vacuatione cum modo, mensura & pondere viribus non solum præsentibus, sed futuris proportionata.

1. Apho. 9.

Quod verò Vallesius carpit loco, quem citat aduersarius, non est hæc moderata, & ad æquilibrium facta sanguinis detractio, sed illa quæ modum excedit. Nam supra eodem capite aduersus eos qui nunquam à venæ sectione sciunt se abstinere, in hunc modum scripserat. *Est nihilominus tenendus aliquis modus, &c.* Si qui tamen venis sectis maximè saluatellis, & talis perierunt (vt ipse aliquando obseruaui) ii magis venam secantis negligentia, & incuria, quã venæ sectionis causa mortui sunt. Solet enim fallere vena secta in aqua calida, multo sanguine, & spiritibus efusis.

In sua Apen.

4. Meth. cap. 2.

Obiectio. 3.

VT à tertia objectione aduersarius se expediat, in qua quidam medicus (meo videri doctus)

doctus) sic distinxisse videtur. *Constare quidem vires in statu ad venæ sectionem reuulsoriam, si non ad magnam.* Duo satis parergon respondet. Primum cum ait, *in statu reuulsionis vim cessare*. Nam hoc ratione primi morbi verum habet, non autem ratione alterius supervenientis ex fluxione, quem tacitè supposuit Doctor distinguens. v.g. si angina superveniret.

Quia tamen varii omnino sunt ac multiplices roboris, & debilitatis virium gradus, qui variam quoque, & multiplicem mittendi sanguinis mensuram, & modum definiunt; vt hanc virium latitudinem significaret. Gal. cum dixisset venæ sectionem (siue vacuantem siue reuellentem) semper valentes vires postulare, statim addit, *Quæ modo ac mẽsuræ vacuationis respondeant.* Idem etiam docuit. lib. de cur. rat. per san. missíon. quam ob rem alibi inquit ille, *Non licet in omnibus vnum vacuationis modum definire, &c.* Ex quo fit vt nonnullis semel, & copiosè (quod fieri solet in magna euacuatione) nõ nullis partitè, & parcè (vt in revulsione fit) oporteat sanguinem mittere. Hinc constare quidem vires in statu ad venæ sectionem revulsoriam, si non ad magnam, Doctor objciẽs (quisquis ille fuerit) nũquam satis mihi laudatus, doctè acutèque distinxit.

Galeni locus ab aduersario non percaeptus explicatur.

Cap. 12. & 13.

Lib. de venæ sectio. cap. 24.

Objectio. 4.

QVOD verò noster Galenista secundò respondet ad quartam objectionem, explicans locũ. lib. 9. meth. eius loci explicatio præter Galeni mentem est. Nam ibidem primum docet,

Locus. 9. Meth. c. 11.

Perperam ab aduersario intellectus enarratur.

docet, adhibendam esse venæ sectionem, vt quod inutile est naturæ, remoueamus. Secundo sanguinem bifariam inutilem fieri, vel cũ propriam qualitatem exquisitè non seruat, ita vt amplius sicuti prius, non nutriat; vel cum tanta est illius copia, vt aut vires premat, aut venas distendat, rumpat, vel obstruat. Ex quibus tertio concludit, venæ sectionem pro auferendis his duobus in sanguine vitiis (quantitatis scilicet, & qualitatis) dupliciter conferre; vel tanquam auxilium vacuãs, vel tanquam humorum vehementiorem impetum ad contraria reuellens, vel ad vicina deriuãs. Ac proinde inquit, *Ac in his quidem*, scilicet in vtraq; plenitudine quoad vires, vel quoad vasa (quarum vltima præcipuè febribus continentibus conuenit) *missio sanguinis vtilis est, seu vacuantium præsidiorum vna. In alijs* (id est morbis reumaticis nempè inflammationibus, & tumoribus præter naturã, qui ex sanguine propriam qualitatẽ exquisitè non seruante fiunt) tanquam auxilium reuellens, & deriuans. Quid igitur apertius dici potest? Ex quibus meridiana luce clarius paret error expositoris huius loci, cum in sua Apendice satis quidem frigidè eum sic interpretatur. *In aliis* (videlicet febribus) de ipsis continentibus intelligens, *Vtilis est venæ sectio, seu quorum vehementiorem impetum, &c.* Nam his verbis, vt ostẽdi, tantum abest, vt Gal: de continentibus, quin nec de aliis putridis febribus loquatur, sed solũ de morbis qui ex fluxione oriuntur, quibus humorum vehementior impetus magis competit. Oportebat itaq; Doctorem medicum qui olim Grammaticæ

rudi-

rudimenta docuit, hunc Galeni locũ saltem Grãmaticè explicare; forsitan non errasset. Nam cum Pronomẽ, hic, hæc, hoc relatiuè ponitur, apud Grãmaticos proximiorem clausulam refert, sicuti ille, illa, illud, vel alius.a.um. remotam. Proximior autem incipit, ibi: *Vel tanta est illius copia, &c.* Remota verò dum ait: *Vel cum propriam qualitatem exquisitè non seruat.*

Obiectio. 5.

EX quo errore natus est alius peior priori, dũ in quinta objectione scribit, se ostendisse Galeni locum vbi sanguinis missione in continentibus febribus Galenus reuellat. Posset etiam addere Doctor, *Et deriuet*, cum Galenus ibi id expræssè dicat. Quare aliam quercum excutiat eiusmodi expositor, qui potius nobis imponere, quam Galenum exponere intendit. *Alter aduersarii lapsus.*

Dicet ingeniosus medicus; dato & cõcesso, quòd ex hoc Galeni loco non eliciatur, reuulsionẽ conuenire febribus cõtinentibus, non ne ex aliis multis id manifestè constat? vt videre est lib. 11. meth. c. 14. & lib. 8. eiusdem operis. c. 4. & alibi? Rectè quidem, & Galenicè apparenter; sed duplica hic folium tantisper lector, donec ad. 11. objectionem perveniamus, in qua huic objectioni; & argumento, quod à maiori ad minus hic facit Doctor, satis superque fit. *Objectio.* *Prædictæ objectioni satisfit in. 11. objectione.*

Obiectio. 6.

AD sextam objectionẽ in qua *Asserunt sanguinis*

 missio-

missionem per se refrigerare, cũ facilis ac friuola objectio sit, facile & bene respondet Doctor. Nã quod ab aliqua causa per se fit, semper & eodem modo fit, secus quod ex accidenti. Ita venæ sectio pro ratione diuersæ materiæ diuersos effectus (quanvis priuatiuè) operatur. Calidam materiam vacuãdo, ex accidenti refrigerat; quemadmodum etiam calefacit, frigidam remouendo.

Obiectio. 7.

AD septimam objectionem, velint pro libito medici (quicũque illi sint) *refrigerationem, non vero deliquium perse intendi in sanguinis missione vsque ad animi deliquium facta pro curatione febrium continentium*. Ecquid hoc ad curationem? maxime in nostris temporibus, quibus hujusmodi euacuatione non vtimur.

Obiectio. 8.

AD octauam objectionem, in qua *Venam in statu secandam ex Auice. eliciunt*, sicut impertinẽs est septima, ita & hæc. Vnde cũ mala sit objectio, & parum difficilis, bene & facile respondet Doctor, cui parum gratiarum habendum.

Quod autem præter Cardani, & Menæ expositionem, intendit Auicennas, dum ait. *Et si natura non mouet, moue tu hora motus eius*. Idem est ac si diceret,

ret, cum perfectè concocta, & diſpoſita materia fuerit (quod contingit in ſtatu) tunc totis viribus inſurgit natura contra morbum, & facit criſin, ſi vires validæ fuerint, & cætera præparata. Quod ſi id perficere non poſsit, tunc opportunè à medico pharmaco conuenienti dato juuetur.

Obiectio. 9:

AD nonã objectionem in qua poſt purgationẽ docet Auicennas faciẽdam eſſe venæ ſectionẽ, cum eiuſdẽ farinæ ſit cũ ſexta, ſeptima, & octaua, facillime, & ſine multo labore à Doctore ſoluitur. Quas omnes mihi perſuadeo, eſſe Medicorum Adoleſcẽtiũ objectiones, ac proinde ſenex optime illis ſatisfacit.

Obiectio. 10.

IN decima objectione, quæ profectò omnium difficillima videtur, in qua inquit ille; *Omnes judicia facta per ſanguinis profluuia objiciunt; in quibus imitanda eſt natura, ſola tamen critica reſpiciunt*. Primò ſuſtinet Doctor profluuia ſanguinis ſymptomatica eſſe vtilia; imitãda, juuandaq;, id quod multis Hippocratis, & Galeni allatis hiſtoriis, & rationibus comprobat.

Secundò dicit, problematicè defendendum, ſanguinis profluuia critica poſſe in ſtatu contingere. Ego verò, vt verum fatear, ſicut ille hoc ſecundum, ita etiam primum problematicè defendi

fendi posse contendo, verioremque illius hac in re opinione contrariam esse existimo. Positũ enim est in controuersia apud primæ notæ Auctores, an omnes symptomaticæ excretiones sint malæ, & an interdum juuandæ.

De purga. principio morborũ. Alexander Massaria defendit contra Lemosiũ, nullam vacuationem sine coctione esse vtilem, & imitatione dignam; nullumq; ægrotũ sine coctione convaluisse opinatur. Hanc etiam difficultatẽ *Cõtro.25.* post Vallesium, ex professo controuertit Ioannes Baptista Siluaticus, qui fere idem cum Alexandro *Cũ Gale. 4. Apho. 22. ibi, quare cũ morbi initio, &c.* sentit. Cogitauerũt tamen hi viri omnem sympto maticam excretionem sua natura esse malam, ac proinde non esse imitandam (natura enim irritata intempestiuè fit) posse tamen interdum in bonum tendere, si eam vires valenter tulerint, & sine multa læsione.

Vterq; verò Auctor, præcipuè Siluaticus, omnibus satisfacit historiis, & rationibus, quotquot Doctor in sua appendice refert, & pluribus aliis, quæ adduci in suum fauorem possunt. Quorum fundamenta per otium lector videre potest. Non enim mens est, omnia quæ insignes hi viri diffusè tractarunt, huc trãsferre, sed solùm ea quæ pertinent ad solutionem historiarum, & rationum, quæ in responsione ad. 10. Objectionem cõtinentur: quibus sic respondendum censeo.

In primis cum Alexandro, si vera est Galeni doctrina, quã expressè docuit lib. de tot. morb. temp. & alibi, omnem morbum materialem salubrem, siue coctione, siue crisi soluatur, quatuor tempora

debere

debere percurrere, qui fieri poteſt, vt Meto, & alii, qui largo ſanguinis narium fluore in principio, vel in incremento (vt male probare intendit aduerſarius) fuerint integrè liberati? Non ne quicunq; hoc affirmat, Galeni. & omnis ſcholæ medicæ doctrinæ notabilem repugnantiam inducit. Secundo ſi Galeno credimus. lib. de opt. ſec. ad Traſybul. & aliis locis, cum inquit: auxiliis medicis morborum tempora præcindi poſſe (id eſt tãtum contrahi, vt ſine ſenſu effluere videantur) cur fieri nequit, vt breui prope modũ tempore, poſt tam inſignem omnium humorum per hæmorrhagiam depoſitionem; poſtea natura reliquis moderetur, ſuperet, ac cõcoquat? Atq, ita æger ſeruetur. Nam cum in peracutis, & acutiſsimis morbis celerrimè fiant motus, duarum tantùm horarum ſpatio morbum à natura euinci, & coctionem fieri contingere poteſt. *Cap.47.*

In hanc ſententiam poſtea deveniſſe mihi videtur Lemoſius, & ſic Palynodiam recantaſſe, cũ lib. 2. de opti. prædicendi rat. poſt omnes relatas ab Hipp. & Gal. hiſtorias eorum qui ſine coctionis notis ſuperſtites fuerunt, in hunc modũ ſcripſit. *Sed quid aliunde exempla quærimus, cum ipſi noſtris temporibus in febribus præſertim puncticularibus, multos vidimus ritè iudicatos, non modo cum cruditatis, ſed & cum lethalibus ſiguis, nunc per abceſſum, aliàs verò excretione, nunc ſanguinis, nunc dejectione leuatos magna vi morbi; poſtea morbi reliquias paulatim concoxiſſe, & ſic ad ſanitatem perveniſſe, &c.* Hinc Alexander, vt reſpondeat hiſtoriæ illius juuenis, quæ continet Galeni mirabilem *Cap. 2. in fine.* *Lib. de præcog. ad poſthu. c. 3.*

bilem imminentis hæmorrhagiæ præcognitionē, adhuc morbo existente crudo, sic ait. *Etenim cum ille*(de Galeno loquitur) *nihil de genere morbi, nihil de illius exitu, ac termino scribat. Qui aliā rē agebat, non satis intelligo, quomodo hinc Lemosius colligat, eum juuenem crudo etiam nunc perseuerante morbo, sanum repentè factum fuiße. Immo verò, cū Galenus hoc ipsum prætermiserit, hinc fit verisimile plures fortaße dies morbum fuisse productum, sicuti euenit seruo laboranti febre continente cum putredine, qui non ante diem septimum integram habuit vrinæ coctionem, sanitatemq; est adeptus, tametsi illi protinus initio morbi sanguis eßet detractus vsque ad animi defectionem*; hæc Massaria. Hanc doctrinā corroborat Galeni singularis locus. lib. 1. de cris. c. 7. Vbi in hunc modum scripsit. *Sanguinis autem profluuia, & sudores, & tumores, qui juxta aures fiunt, & reliqui decubicus, si in tempore quidem fiant opportuno, prodesse poßunt, intempestiuo autem nihil juuant*. Idem docuit infra : capite. 8.

Quod si secus esse adhuc aduersarius cōtendat, dicendum est cum Siluatico Metonem, & alios à symptomatica expulsione integrè sanatos, quoniam ob copiosam admodum sanguinis nariū vel mensium euacuationem morbosa omnis est euacuata materia; seruatos autem illos fuisse, quia fortibus adeò erant viribus, vt quanvis ab expulsione symptomatica multum sanguinis euacuante debilitatæ fuerint, adhuc tamen euacuatis omnibus morbum facientibus causis, ad vitam custodiendam sufficere potuerint. Totum enim negotium vtilitatis huiusmodi symptomaticarum excretio-

num

num (vt acutè Vallesius aduertit) in virium fortitudine consistit. Naturæ enim forti nihil est imposibile; cum imposibilitates, & necessitates medicæ nũquam raros casus excludãt. Sic multa scripsisse Hippocratem in libris Epid. quæ rara sunt, & admiranda, nos Gal. ipse admonuit his verbis; *Hic* (de Herophonte loquebatur) *præter expectationem superstes fuit.* Lib. 5. contro. c. 3. 1. Epid. sectio. 3. cõmẽt. 20.

Ex quibus omnes historiæ, omnesque rationes ab Aduersario positæ facillimo negotio solui possunt. Vnde ad secundam rationem qua probat, sanguinis symptomatica profluvia esse vtilia, & imitanda, juuandaq;. Respondetur, huiusmodi euacuationes non esse imitandas, nec juuandas, cum ars non imitetur naturam, nisi in his quæ rectè operatur, vt in bona crisi, non in symptomatica, in qua male operatur, cum id opus intempestiuè, & irritata efficiat, quanvis interdum in bonum terminetur, vt aliquando rectum ab errore solet contingere.

Quod si adhuc instet aduersarius, fluxũ sanguinis narium symptomaticũ, cum esset parcus, Hippocratem balneis juvisse in Metone; & Galenum id in cõmentario confirmasse, dicentem. *Huius te præsentissimum remedium docuit, capitis lauacrum, &c.* Dicendum est cum Siluatico, Hippocratem non eo tãtũm consilio Metoni caput lavisse, vt parcè fluentem sanguinem duceret, quemadmodum Galenus existimauit, sed vt simul delirio ac vigiliis virtutem prosternẽtibus occurreret. Hoc ipse Hipp. innuit, dum ait, *A judicio insomnis erat, delirabat, vrinæ*

tenues, subnigræ. Balneis secundum caput vsus est, dormiuit, resipuit. Id quod etiam Vallesius in com. docuit. Nec timuit Hippocrates, posse capitis lotionem symptomaticè fluentem sanguinem magis concitare, juvamentum sperans futurum maius nocumento. Præcognouit maximus ille senex Metonis vires esse adeò validas, vt sine multa jactura possent eam euacuationem tolerare. Quod deinde secutum est, quoniam sanguinis euacuatione multa inde subsequente morbus discessit omnino. Atq; æger sine recidiua transegit, quàvis non antecesserint coctionis signa.

Obiectio 11.

PRO vndecima Objectione, in qua Doctori rectè objectum est, *Galenum in suis operibus præsertim in methodo deliberantem de curatione febrium continentium per venæ sectionem, non reuulsionis, sed euacuationis plethoræ nominatim meminisse.* Si attento animo legũtur ea quæ respondet, manifestè erroris ille redarguetur. Nam multum interest, cum de venæ sectione agitur (quæ triplicẽ apud Galenũ habet vsum) juxta indicationũ doctrinam distinctè loqui, quẽadmodum ipse semper fecit; cum vero rem adeo seriam nusquã animaduerterit, aut docuerit; nec post ipsum vllus ex clasicis Auctoribus tã Græci, quam Arabes, qui non lethargici, soporósiq; medici fuerunt; hinc fit, vt si Galenus vbique scripsit, in synochis detrahendum sanguinem plethore gratia, illius discipulos scrutatoresq, veros intelligere

revul-

revulsionis gratia ex eodem faciendam venæ se-ctionem mirum in modum dissonet. Quare mihi persuadeo probabiliusq; existimo, ex Galeni sentẽtia febribus continentibus revulsionem non convenire.

Verùm ne nostro Doctori (qui multis carere, & paucos Auctores legisse videtur) iterum accidat ignorantiæ redargui, si me huius quoque opinionis vnicum ac singularem Auctorem fuisse fortè cogitet, Ioannem Baptistam Siluaticum legat, qui cõtrouersia. 44. ex professo hanc rem egit, vbi appositisſimo fluminum multa aqua refertorũ exẽplo, docet modum fluxionis de quo in febribus cõtinentibus loquitur Galenus, nullam exse petere revulsionem. Ex quo omnibus satisfacit Galeni locis, qui contrarium ostendere videntur. Ex cuius etiam Auctoris doctrina omnes quas adducit Doctor rationes, facillimè solvũtur. Non enim continentibus febribus omnes revulsionis condiciones, & requisita, nec Axioma medicum ab illo adductum convenit.

Obiectio. 12.

AD objectionem. 12. in qua asserunt naturam in Phrenitidis vigore profluvio sanguinis narium ægrotos liberare, quia parũ eficax est facile, & bene Doctor respondet.

Obiectio. 13.

AD objectionẽ decimam tertiã. Nec objectio ipsa, nec quæ ad eam respondet, ferè intelligi

 possunt,

possunt, vt equidem putem præter Sybillam legere illa, & interpretari posse neminem. Sed inter respondendum male ait Doctor, Hippocratē in principiis inflammationum revulsionem, & deriuationem instituere. Nam (vt à me alibi animaduersum est) vbicunq; Hipp. & Gal. deriuationis, & revulsionis faciunt mentionem, exempla ponunt in humoribus ad aliquam particulam fluentibus, quæ vacuationi extra corpus viam habent destinatam; & de his fluxionibus vterq; est intelligendus. Secus se res habet in inflamationibus, & aliis morbis ex fluxione ortis, nempe tumoribus præternaturam, &c. In quibus quo tempore deriuatio est exercenda, à nobis in alio tractatu demōstratum est. Quem Deo dante in lucem edemus.

In defensione doctrinæ Vallesii supra 6. epid. sectio. 2. textu. 9.

SED accedamus iam ad ea, quæ aduersus meã Apologiã in sua Appendice aduersarius scribit. In cuius inscriptione dicit duo Galeni loca difficillima à me explicãda promitti, & veriùs duas dictiones facillimas grãmaticè explicari. Deinde in primo limine, post nonnulla in me (vt suus est mos) puerilia dicteria, me singularẽ & vnicũ contentiosè asserere ausum, non esse mittendũ sanguinem regulariter in morborum incrementis. Tertiò septem vel octo delicta mihi commissa proponit.

Primum, pro fundamentis me posuisse trimembrem principii acceptionem. Secũdũ, quòd Hipp. & Gal. loquentes de principio seu sanguinis missioni opportuno, pro cruditate solum principium vsurpant. Tertium, quòd morbi incrementum sub statu comprehendendum sit. Quartum, coquentem in augmento naturam, tunc vena secta distrahi. Quintum, in augmento crises expectãdas. Sextum in augmento, & statu morbi naturam coctioni vacare. Septimum, Peredam ex coctione in vrinis incipiente sufficientem missionem sanguinis arguere. Hæc sunt fideliter, & ad verbum translata, quæ mihi objicit adversarius. Quibus suo ordine satisfaciendum est. Post habitis puerilibus verbis, quæ in mei contemptum effutit.

In primis cùm ait, me vnicum contentiosè asserere, in morborum incrementis non esse mittendum sanguinem regulariter; sciat ille, me non esse vnicum, & primum qui hanc opinionem invenerim. Nã præter Vallesium qui illam obiter, & per

tran-

transennam innuit, Ioubertum de iteranda phlebo.& multos alios, extat quidam Doctissimus Auctor, qui hanc quæstionem ex professo scripsit, typisq, excussit. Cuius nomen consultò hic tacui, vt Doctor hic studeat, legat, inquirat, & interdum extra Galeni clastra transeat, si non tanquam transfuga, saltem tanquam explorator. Scriptor etenim omnia prius explorare debet, ne illi objici contingat, quod Ioannes Latinus suis discipulis iocosè dictitabat, cum aliquis dicebat, se tale vocabulum nunquam audisse. Quid inde irridens Latinus aiebat? Nonne ex hoc ignorantiam tuã fateris?

Aduersus primã Hypotesim (in qua triplicẽ principii acceptionẽ ex Hipp. & Galeno supposui) Hieremiam falsum testem Doctor adducit, dicentem dari quartum principium ex Hippocratis sententia, quod verum principium, atque augmentũ cõtinet. Si auctoritatem auctoritate repellere licet, ego in mea Apologia Antonium Musam verũ testem advocaui, Hippocratem sic exponentem. *Et si vigor sit morbi status, & tempus maioris pugnæ, tamen in præsentiarum sub vigore augmentum intelligimus, quoniam in hoc tempore melius est quietem habere, &c.* Quapropter aut Aduersarius Musam refellat; aut si id non fecerit, vbi ille nominauerit Phedriam, ego Pamphilum continuò. Aut ab eo Galenus circa acceptionem principii quartam apud Hippocratem, (quæ magis ficticia, quã artificiosa videtur) necessariò ignorantiæ est arguẽdus. Sed si omissis Auctoritatibus, ratione agendũ sit, magis congruit naturæ, & essentiæ incremẽti vigori quã sub principio

appo-

apponi. Principium enim dicit cruditatē, vel saltim obscuram coctionem, incrementum manifestam. Quæ quidē maiorē habet affinitatem, & cōnexionem cum statu (in quo manifestè adest concoctio perfecta) quam cum principio.

Cum pro secundo ait, Galenum esse legendum scribentē. *Verùm quoniam quintum sæpe diem aut sextū, &c.* Iam explicui in Apologia, in incremēto sanguinem misisse Galenum, quanvis non ita commodè quemadmodum in principio, sed quodam modo coactè, quoniam maior sequitur vtilitas ex plenitudinis euacuatione, quam noxa ex importunè facta. Cū verò Galenus ibi redarguat medicos illos, qui die quinto transacto, sanguinem amplius mittendū esse nolebant; Profectò vniuersale non fuit Galeni præceptum, sed inscitia medici, ægri, vel astantiū pertinacia aut negligentia omissum conuenientiori tēpore auxiliū, omnino postea non esse dimittendū constituit; secus facturus, si in principio sufficienter fuisset euacuatum. Ex quibus ad multa, quæ infrà aduersarius objicit circa locum de sangui. miss. c. 20. patet solutio. De tertio iā dictum à me est in respōsione ad ea quæ in exordio responsionis suæ mihi objicit. *Legendus Siluaticus*

Ad quartum dicit Aduersarius, *Fidem esse medicā, solùm naturam maxime coquentē (quod in vigore fit) eo tēpore distrahi.* Fides hæc nō medica, sed medici vnius tantùm est. Magis enim distrahetur natura ab incepto opere, si impediatur cū illud manifestè aggredi incæpit, quā quādo ferè iam perficit, id quod euidentiæ, non fidei innititur. Quod multis patet exem-

exemplis, maximè ignis, qui facilius extinguitur in principiis quam postea. Iuxta illud Horatianũ, *Lib. 1. Epist. 18.*
Et neglecta solent incendia sumere vires.

Quintum quod mihi objicit, falsum testimoniũ est; nullibi enim ego in mea Apologia scripsi, nec volui, obseruandam esse in augmento crisin, sed ex euacuatione in augmento facta, in vigore impediri. Producitur enim vigor, & prohibetur judicium, quòd natura distrahatur ab opere. Ad eundẽ modum medica schola docet, ex ipsis medicorũ remediis, quæ morborum cursus interturbant, crises impediri, ac proinde rarò conspici in nostris tẽporibus. Ad sextum, natura initio vacat cruditati toto eo tempore, quo nondum est leuata, exonerataque. Cum verò per euacuationes circa initia factas materia redditur naturę proportionata ad hoc quòd in ipsam agat, tunc incipit concoquere, & in hoc tempore nempe in vltima parte principii signa coctionis obscura apparere solent. Ea enim est naturæ Oeconomica, vt primò leuari desideret, secundò concoquat, tertiò expellat. Quæ tria cõtinentur in illo trito, & vulgari Galeni loco *Leuata namque, &c.*

Ad septimum, cum torqueat Auctoris sensum, eiusmodi explicatio non est admittenda. Minimè enim Pereda voluit in augmento sanguinem esse mittendum, sed toto eo tempore quo materia est cruda, vel adest obscura cõcoctio, vsque dum incipiat apparere manifesta, non autem dum eo vsque progrediatur, donec incipiat appare perfecta. Nã (vt in Apologia ex Galeno aduerti) *Cum auxilia me-*

dica

dica fermè solum impetum, motusq; principium naturæ inji ciant, reliqua per se natura administret; ac perficiat, frustra in motus succesione adhiberentur. Cum verò ait Doctor sic explicari illud Hippocratis. *Sudores febricitanti, si incæperint*, id est, & perseuerent; eodẽ modo explicandus venit Pereda, scilicet sufficienter factam esse sanguinis missionem, cognosci ex coctione, quæ in vrina apparere incipit, & perseuerat. Nam si non perseueret, plus sanguinis detrahimus (dum modo adsint vires) vt quotidie in praxi experimur.

Antequam ad octavum quod mihi objicit, deveniam, admonendus est lector aduersarii calliditatis. Nunquam enim confutat quod adversus illũ rectè objectum est, ac difficile, nisi quod male & facile. Sed ad rẽ deueniẽdo advertat sedulus lector, Doctorem (qui sic repente prodiuit Græcus, vt tãquam Psitacus Hispanè, sic ille Græcè loquatur, mutuatis scilicet acceptisque vocibus ab aliquo Græcæ linguæ perito) priusquam ego Galeni locũ Græcè transferrem, inscium illum fuisse vocabuli Græci καιρος, quod tẽpori in Latina versione correspondet, & ita tempus vt sic (de tempore Latino loquens) dicens esse equivocum, in tempus morbi, & tempus auxiliorum tantùm diuisit. Ego in Apologia nõ ex mea sentẽtia, sed expositoris suppositione, dixi, si tempus (Græcè καίρος) equivocum sit, cum conditione loquens, prius esse diuidendũ in triplex membrũ, vt feci. Postremò adijeci, si adhuc logicus rigidus instaret, esse analogũ tempus vt sic (de dictione Latina loquens) respondi, tunc

ſtare pro famoſiori ſignificato, atq; ita pro tempore, quod eſt numerus notus, &c. & de hoc intelligẽdum eſſe Galenum, cum ait *nullo non tempore* venæ ſectionem faciendam, vt ab occaſione numerum dierũ excluderet. Inſuper addidi, occaſionem ſanguinis mittendi deſumi ex affectu poſtulante, & nõ prohibente. Quod poſtulat, ſanguinẽ eſſe quãtitate peccãtem, quæ vt euacuetur, ſanguinem eſſe detrahẽdum duntaxat in principio regulariter, juxta Hippocratis, & Galeni præcepta euacuandi circa initia. Idque probaui multis Galeni locis vbi agens de curatione per venæ ſectionem in his febribus, ſępe principii meminit. De quibus locis, ſicuti de virium conditione in principio, ſemper à Galeno poſita, aduerſarius obmutuit, nec vllũ verbum reſpõdit. Quòd autem hoc principium juxta Galeni mentem non poſsit eſſe quartum principium, quod Triuerius finxit, ex diuiſione quam Galenus ex Hippocrate admittit, manifeſtum eſt. Nam cum Brachelius dicat, hoc quartum principium Galenum non cognouiſſe, quo pacto poterat ille regulariter in augmento ſanguinem mittere? Præter quam quòd nullibi locorum, vt oſtendi, reperitur quòd in febribus continentibus in incremẽto regulariter ſanguinem miſſerit Galen. Nam vel ſemel, & affatim initio ſanguinẽ detraxit, vel eodẽ die iterauit. Dum verò Galenus ait, *Nullo non tempore ſanguinem eſſe mittendum*, de tempore prima acceptione ſumpto dixi debere intelligi, non de morbi tempore, vt Doctor male expoſuit. Ita tamen in vniuerſum illud omne tempus intelligo, quod

quod ſolum ſit id quod intra morbi principium cõ continetur, ſiue primo die. 2. 3. &c. Ex quo cum tẽpus ſic reſtrictum, & contractum duo hæc in ſe cõtineat, nempe ſimpliciter tempus, & eius opportunitatem, quæ inuenitur in principio, hoc temporis complexum quod duplici dictione à Latinis tẽpus opportunum, ſiue temporis opportunitas ſignificatur, à Græcis vna dictione καιρος appellatur. Quare appoſitiſsimè Galenus hoc vocabulo vſus eſt, vt innueret occaſionem, & tempus opportunũ venæ ſecãdæ in ſynochis, non in numero dierũ cõſiſtere, ſed in tota duratione cruditatis, in quo verſatur vniuerſale morbi principium, non autem in omni tempore morbi (vt multi male voluerunt) neque in principio & augmento tantùm, vt Doctor ad duo hæc tantùm tempora reſtrinxit vniuerſum tempus morbi. Logicus quidem nouus.

Hinc facile lector colliges, ſi attento animo legas, ea omnia quæ ex Budæo adducit, meam opinionem confirmare. Quid enim aliud eſt καιρος eſſe, cum ſentimus rei gerẽdæ opportunitatem, quã ipſum tempus ſimpliciter contractum ad tale tẽpus, nempe in quo adeſt materia cruda. In quo rei gerendæ opportunitatem ſentimus.

Et clarius, vt nouus repentè factus Græcus, poſthac erubeſcat mittere falſem in meſſem alienam, & loqui, quam non intelligit lingua (hoc enim proprius gracissare, quam græciſſare eſt) Diſcat ille quòd chronos, & cairos habent ſe tanquam includens, & incluſum, continens, & contentum, denique tanquã ſuperius, & inferius. cairos enim

 tempus

tempus ſimpliciter includit, continetque, vt homo animal; non tamen è contrario καιρὸν χρόνος. Neque enim omne tempus ſimpliciter, opportunum eſt. Veluti neque omne animal eſt homo. Ex his facile ſolui poſſunt omnes aduerſarii rationes.

Ad primã quæ ex Budæo deducitur, reſpondeo id verum habere de tempore ſimpliciter ſumpto, nec ad tale vel tale tempus contracto; non enim in omni tempore ſimpliciter adeſt rei gerẽdæ opportunitas, ſed in hoc vel illo. Ego vero qui Galeni locum explicans, venæ ſectionem eſſe exercendam *Nullo non tempore, vel in omni tempore* intra principium explicui, tempus ſimpliciter contractum tamen ſignificaui, vt diſtinguitur contra morbi tẽpora.

Secunda ratio meam opinionem cõfirmat. Tertia nihil contra me probat; ego enim Galeni locũ expono non per tempus latum, ſed contractum, & reſtrictum. Similiter quarta ratio parũ efficax eſt, non enim in omni tempore latè ſumpto dixi adeſſe opportunitatẽ, ſed omni tempore intra morbi principium.

Quintam rationẽ nõ intelligo, Sphingis ænigma mihi eſt, ac proinde ſoluat Oedipus. A me etenim neque conſtrui, neque deſtrui poteſt. Nec Galeni locus lib. de morbi tempor. c. 1. quo ſuam opinionem probare nititur Doctor, ad rem facit. Nã ibi docet Galenus differentiam inter tempus ſimplex, tempus morbi, & auxiliorum. Dicitque tempora morborum ſe habere ad morbum, veluti ætates ad animal; & cum dixiſſet huiuſmodi tempora

in

in morbis à Græcis καιρόνσ vocari,recte addit,*Neque enim tempus simplex hoc vocabulo significatur, neque conueniens illud tempus in quo præsidia considerantur.* Ex quibus Galeni verbis hæc duo colliguntur. Primum καιρον, cum de morbo dicitur,non significare tempus simplex, nec tempus opportunum auxiliorū. Secundùm,tempus simpliciter & sine addito dictum, χρόνον à Græcis appellari; cum addito etiam auxiliorum, vt ex eodem loco aperte constat, ὁ τῶν προσηκόντων χρόνοσ. Vt hinc intelligat aduersarius nō esse hoc perpetuum apud Galenum.

Cum vero circa locum lib. 9. meth. *Itaque si tempore mittendi sanguinis, &c.* (quē dicit me dissimulasse) inquirit, quod tempus mittendi sanguinis hîc appellet Galenus, an simplex? Et respondet per excellentiam principium appellare; facile est dicere, Galenum appellare tempus contractum intra principium; quod à Græcis καιροσ nominatur.

Cæterum à me excussa expositio galenica, &c.

Quantum à se distent inter se collata capita. 5. & 14. libr. 9. meth. quantumque differant loci à Doctore relati, qui in illis continentur, vel cœco appareat. Nam si assidua meditatione contempleris ea omnia, quæ circa indicationes pro febre in communi curanda Galenus scribit, inuenies eum capit. 14. solum agere de remediis, quæ febri quatenus febri conueniunt, nulla facta mentione causæ. Hæc remedia dicit esse humectationem, & refrigerationem, ad quem scopum, *Si febris sola sit, omne medentis consilium veluti ad finem dirigitur, ita vt nihil sit quod præterea ad curationem*

nem

nem desideretur, nisi vt materiæ inveniantur, quæ huic proposito (nempe refrigerationi, & humectationi) *sunt idoneæ. Materia verò inuenta* (hæc sunt omnia quæ refrigerandi, & humectandi habent vim) oportunum tempus quo his vtamur, ex quatuor febris tẽporibus docet captandũ, *Quantitatem vero ex conferẽdo cũ naturali habitu morbũ, quippe quantũ is à naturali habitu recessit, tantũ opus est refrigeres, & humectes.* En quo pacto Gal. quatuor scopos auxilii refrigerãtis, & humetãtis, quod petit ex se febris, quatenus febris est, nulla habita mẽtione causæ, apertissimè docuerit. De sola enim febris (qua febris est) indicatione agit ille in toto capite. At in c. 5. de particulari febre agẽs, videlicet synocho, ait eius duo esse peculiaria maxima remedia, quæ sunt venæ sectio, & frigidæ potio. Et quemadmodũ. c. 14. in vniuersali docuerat, ex febris temporibus captandum esse tempus opportunum quo refrigerãtibus, & humectantibus rectè vtamur, ita in particulari febre docuit, horum duorum remediorũ tempus opportunum ex ipsius febris (nempe synochi) temporibus captãdum. Ita vt venæ sectio fiat in febris principio, ex hoc enim regulariter juxta Hippocratis præceptum euacuãdi circa initia, tempus mittendi sanguinẽ opportunum desumitur. Ac proinde Gal. debuit dicere, *Verum illa nullo non tempore*, nempe intra principium; gelidæ verò potionem in febris vigore propinãdam, his verbis ostendit, *Hæc cum coctionis in vrinis euidentes cernuntur notæ, febris autem est maxima*, hac enim dictione *febris est maxima* vigor significatur.

Quod

Quòd vero hic locus primi sit expositio, paucis his accipe. Male hîc probare intendit aduersarius in.c.14. venæ sectioné, quia materia est medica, Galenũ comprehẽdisse sub his verbis, *Ita vt nihil sit quod præterea ad curationem desideretur, i. vt materiæ inueniãtur*. Nã materiæ de quibus ibi mẽtionẽ facit Gal. solũ sunt quæ habent vim refrigerãdi, & humetãdi juxta febris indicationẽ de qua ibi agit. Quã verò præter rẽ, & otiosè Doctor hîc probare conetur, sanguinis missionem esse materiam medicam, nemo non videt, quis enim hoc illi negat? Sed sub his materiis de quibus agit. Gal. in.c.14. venæ sectionẽ comprehendi, hoc est quod ipse nego.

Nonnũquam illud à me adductum ex loco de optima secta, principio non respondere, sed in crementũ respicere. Sanguinem mittere in augmento non doctrinale, vniuersaleq; præceptũ esse, à me sepè probatum est. Nam si hoc aduersarius existimet esse accipiendũ in vehementibus morbis, aduertat ille, in his semper vsque ad animi deliquium semel, & affatim antiquos sanguinem misse, atq; ita in principio in febribus synochis. Vnde quando Doctor dicit. *In vehementissimis maximisq; morbis vt in plurimis, initiis, & incrementis sanguinis missio fertur, quia non audemus initiis profusam venæ sectionem jubere*, necessariò aduersarius propriam vocem ignorat. Nam apud Galenum, qui profusam venæ sectionem jubebat, præceptum doctrinale vniuersaleq; esse non potest, quia in vehementissimis maximisq; morbis (quales sunt synochi) semel & affatim in principio sanguinem detrahebat vsq; ad animi deliquium. Ac proin-

Objectio. 11.

proinde nonnunquã in incremento ſanguinis miſſio fertur, videlicet cum non ſufficienter facta, aut omiſſa fuit in principio.

Cæterum ò diuine Hippocrates quid de opportunè ſanguine detrahendo, & de illo nonnunquam nobis ſcriptum reliquiſti? Profectò ſi Doctor noſter vſquã (ferè enim vbiq; in exponendis Hipp. & Gal. ſolet) ad Epheſios locutus eſt, præcipuè in hoc Hippoc. loco. In cuius explicatione neque cœlum, neque terrã attingit. Nam ſi quempiam Græcæ linguæ peritum conſuleret (ſi quidem ille Græcè neſcit) illud *non nunquam*, apud Hippocratem nunquam legeret. ἐςὶν οἷσιν αἷμα ἀφαιρεῖσθαι ἐν καιρῷ. Ideſt, *ſunt quibus ſanguinẽ detrahi opportunè, &c.* Vt videre eſt in omnibus verſionibus, præter illam Hermani Cruſerii, quæ deprauata eſt. Nã Hippocrates ait ἐςὶν οἷσιν, id eſt ſunt quibus, non ἐςὶν ὅταν, ideſt nonnũquam. Quare aduerſarius magis indignus Galeno eſt, quippe malo eſt animo, nec libros vt diſcat legit, ſed vt me calunietur. Legat nunc & diſcat, nam hac vice captans ille captus eſt. Atque hæc de ſecundo figmento Latino grammatico. Nunquam enim illud *nonnunquam* ex Hipp. Galenus trãſtulit, hoc enim figmentum eſt.

Secundò præter illius mẽtem eſt, dicere in hoc textu voluiſſe Hippocratem in principiis, & incrementis morborum opportunè ſanguinem detrahi, in vigoribus importunè; de morbi enim temporibus opportunis, nec importunis ad venæ ſectionem, nec per ſomnium ibi Hippocrates meminit, ſed ſolùm eorũ de quibus in præcedenti contextu

men-

mentionem fecerat, nempe de illis quibus exit sanguis. Quorum quibusdam opportunam esse sanguinis detractionem; quibusdam verò minime. Id autem quod enigmaticè Hippo. docuit, *In talibus, in aliis, vt in talibus*, his verbis Galenus exponit. *Illis quibus copiosus sanguis est, & nondum insigniter ad alium humorem conuersus, expedit. Non detrahendus autem quibus iam mutatus est*. Ac si diceret, ijs quibus sanguis exit, & non cacochymus est, sanguis est detrahendus; quibus vero cacochimus, & vitiosus, non detrahendus. Quod si ex Hippocrate Hippocrates, & ex Galeno Galenus est interpretãdus, hæc mea interpretatio ex ipsis alibi de prõpta est. Lib. enim 3. de humorib. hæc eadem sententia reperitur, in cuius comm. audias quæso lector Galenum sic scribentem. *Cum igitur sanguis copiosior sit, in quibusdam eorum de quibus antea facta est mentio* (meminerat autẽ eorum quibus sanguis exit) *hoc consilii dat Hippoc. hoc loco detractionem vtilem fore, præsertim verò si non in aliũ quempiam humorem insigniter conuertatur. Si vero versus sit, non erit facienda detractio*. Hæc Gal. Quapropter Doctoris expositio extra cantionem est, veluti etiam illa circa locũ de sanita. tuen. lib. 4. cap. 4. *In ipsa autem vniuersali declinatione morbi nonnunquam vtitur Vallesius sanguinis mißione pro auxlio attemperante viscera, forsan non ad suum, sed Auicennæ placitum.* *Comẽ. 32.*

Accusat me hîc quòd dixerim, *Forsan non ad suũ, sed Auicennæ placitum*. His verbis id ex Auicenna Vallesium desumpsisse volui. Si hoc verba hæc non sonant, lapsum fuisse non mentis, sed linguæ ingenuè fateor. Cum verò ad Auctoritatem Vallesii à

E me

me adductam alia ipsius met respōdet. Miror Doctoré semper Auctorū verba cortice tenus intelligentem. Relata enim ex controuersiis Auctoritas, auctoritati ex methodo non repugnat. Nam in cōtrouersiis inquirens, si vtroque auxilio vtendū sit, vtrum sit cōvenientius antecedere, respondet, tāto commodius succipi sanguinis missionem ante ex purgationem, quam è contrà; quanto incommodius est, purum sanguinē euacuari, quam impurū. Quod quidem rectè ad propositum ab eo dictum est. At in methodo ait, nō nunquam vtiliter etiam sanguinem mitti in declinatione ob aliquam necessitatem, videlicet attemperationis, non euacuationis, sicut in principio fit.

Objec. 13. *In cacochymia interdum detrahimus sanguinem citra redundantiam, non habita cacochymiæ ratione, sed ob aliam causam adjunctam, &c.* Quòd ad rem nō faceret, causam non attuli, non quòd occulta mihi esset. Cum verò refert Veigam contrarium in comm. docentem, nempe in cacochymia cum præsentia sanguinis mitti posse sanguinem; id tanquam manifestū, supponit Gal. sed in loco eo dicit, etiam citra sanguinis redundantiam posse mitti ob aliquam quāpiam causam, quæ multiplex esse potest; quas omnes doctissimus Peramatus doctissimè percurrit.

Lib. de euacuan. rat. cap. 6. Quare cum sit vna causa particularis quam adducit Veiga, contra meā conclusionē nō concludit.

Vltimò immeritò me furti accusat, quòd ex Pereda quatuor scopos sanguinis missionis trāscripserim; & (quod magis legenti mihi risum fecit) quòd dixerim, qualitatem esse ipsam sanguinis missionem

nem. Quare hinc inde (vt solet) Galeni locis paginā implentibus, probat frustrà & otiosè, sanguinis missionem à qualitate morbi desumi, ac proinde qualitatem non esse ipsam sanguinis missionē. O magnum virum vehementer in me morosè redarguēdo occupatum. Nam quādo dixi, *Venæ sectionē, cū sit auxilium, necessariò habere debere quatuor illos auxiliorum scopos*, nō negaui eam à qualitate morbi desumi, sed qualitatem in venæ sectione quatenus est auxilium, esse ipsam venæ sectionem; aut ille assignet aliam. Ego enim ibi per qualitatem, nō morbi, sed auxilii qualitatem intelligo. Quare

Qui legitis flores, & humi nascentia fragra,
Frigidus interpres est; non latet anguis in herba.

Objicit decimo quarto Auicennam iam dicentem, in quacumq; hora accidat, idest, *in quocumq; tempore, &c.* *Objectio. 14.*

Cum ait apud Auicennā horam significare idē, quod καιρος Græcis, Latinis tempus opportunū, ex supra à me dictis patet, tempus id intra principiū contineri, non verò in augmento. Maximè enim (infra inquit Auice.) cū non expectatur crisis, nec digestio, idest concoctio, nempe cum febris est in principio.

Ex natura rei in incrementis morborū vehementium, seu magnorū, vt plurimū secāda est vena, sicuti in secūda, &c. *Conclu. 5.*

Attende amice lector Doctorem labascentem, & sese corrigentem. Assertionem secūdam in qua in vniuersum docet in morborum incrementis venas esse secandas, in hac quinta ad morbos vehementes, & magnos tantùm restringit. Nec Galeni locus quo id probare intendit, ad rem est, à me

enim in Apologia iam dictũ est, in incremẽto sanguinem *misisse Galenum* nõ regulariter, sed quodã modo coactè,

Cum verò Gal. dixit in vniuersum opportuna tempora (Græcè καιροῦσ in plurali) ex postulante, & non prohibente desumi, ex hoc nil probat Doctor. Idem enim per opportuna tempora intellexit, ac si occasiones dixisset; & ita sequenti linea ait: *At particularium auxiliorum occasiones, &c.*

Similiter Auicennæ loci nil probant, vt antea explicui. Aetius verò solùm de frigidæ exhibendæ tempore opportuno agit, minime de venæ sectione. Nec Hipp. locus de dolore lateris, nec eum Galenus exponens dũ ait, *Cum in vigore fuerit inflammatio*; & infrà *Vigentis autem inflammationis notæ sunt dolor assiduus, &c.* ab aduersario rectè perceptus est. Minime enim in vigore Pleuritidis venas secuit Gal. vt Doctor existimat, quem fefellit homonimia. Neque enim per vigentem inflammationem Græcè ἀκμαζούσης τῆς φλεγμονῆς vigorem significat, sed magnitudinem, intensionem, & vehementiam inflammationis, licet sit adhuc in principio. Nam inter signa quæ tradduntur à Galeno, recẽsetur summa sputorũ cruditas; quæ necessario demonstrat, morbum adhuc fuisse in principio. Verùm ille se ipsum planè interpretatur, cum ait, *Est autem orationi additum aliud Pleuritidis signum, eiusque non solum magnæ, sed etiam malignæ, &c.* Mirandum tamen non est, principium Pleuritidis longius produci potuisse. Anaxion enim celebris Pleuriticus nõ ante diẽ decimum septimum cocta incæpit expuere.

Hippo. locus nec Galenus eum exponens ab aduersario perceptus est.

1. acut. 33.

Quare

Quare hæc aduerſarii interpretatio nō ſolū illi loco,& aliis pugnat,ſed ſibi ipſi (quantumvis ille repugnet)& ab aliis Hippoc.& Galeni decretis eſt aliena.Qui ſine dubio præcipiūt in ſtatu eſſe quieſcendum tam in febribus, quā inflammationibus.

Sed iam ad argumenta de venio.

Ad primū quo probat in augmentis magis exposci ſanguinis miſsionem quam in principiis, reſpondeo eam rationem nullā eſſe. Nam etſi in hoc tempore augeantur morbus,& ſymptomata, hoc eſt de natura augmenti.Nec ob id debet venæ ſectio iterari,facta iam in principio conuenienti vacuatione. Eadem enim ratione nūquam deſiſteremus à venæ ſectione vſque ad vltimam ſtatus partem excluſiuè.Hoc autem non fit, quia etſi morbi magni magna expoſtulent remedia (qualia ſunt venæ ſectio,& expurgatio) nō tamen in quocunq; morbi tempore illis vtendū eſt, quin immo diuerſimodè per morbi tempora; ſi quidem ſanguinis miſsio opportunè fit in principio, expurgatio vero cocta iam materia,niſi turgeat.

Ad ſecundā rationē qua probat quòd quemadmodum venæ ſectio fit in principio,ſic poteſt,& debet fieri in incremento, reſpondetur,poſt debitam plenitudinis euacuationem in principio factam, nullam in incremento effatu dignam redundantiam, nec fluxionem adhuc permanere, quæ vel euacuationē,vel revulſionem per venæ ſectionē expoſtulet.Non enim quælibet plenitudo, nec fluxio per ſanguinis miſsionē eſt auferenda.

Ad tertiū quo probat incremētum magis acce-

dere

dere ad principium, id falsissimum est, & à me sæpius est probatum, incrementum magis naturam vigoris quam principii participare.

Ad quartũ, quo probat magno existente morbo, & humoribus in præsentia sanguinis cum viriũ robore sanguinem esse detrahendum. Respondetur, facta iam in principio sufficienti vacuatione, in aliis temporibus non omnes prædictos scopos adesse; deficit enim sanguinis illa redundãtia, quæ venæ sectionem petit. Ac proinde sanguis non est tunc temporis detrahendus.

Ad quintũ, in febribus, in quibus nullus est humorum raptus ad partes principes, minimè in incremento revulsione indigemus. Si verò raptus su pervenerit, tunc in quocunq; morbi tempore cõtingat, humor est retrahendus, siue per venæ sectionem, siue per expurgationem. Sed hoc (vt in Apologia aduerti) non ratione primi morbi, sed alterius superuenientis facimus.

Ad sextũ facta conuenienter euacuatio in principio per sanguinis missionem, humorem tollit, & ita confert coctioni, quæ manifestè in incremento apparere incipit.

Ad septimũ ex supradictis in decima objectione patet solutio.

Ad octauum, solùm confert ibi Galenus sedimẽtum quod in vrinis in febribus fit; dicitq; simile esse, ac proportione respondere puri, quod in inflammationibus conficitur. Vnde nec minor, nec consequentia recte ex hoc antecedẽti deduci potest.

Ad nonũ, cum venæ sectio ex affectu postulante,

& non

&c non prohibente (duobus necessariis scopis) desumatur, deficiente viriũ robore. 1. aut. 2. die, exerceri non potest. Si verò in incremẽto scopi hi duo adsint, iam dixi sæpe sepius, ex Galeno fieri posse, & quo modo.

Ad decimũ, Gal. lib. de cur. rat. per sangui. miss. docet, quæ sunt prævidenda à medico, vt sanguinem tutò mittat. Dicitq; primum, quòd si duo sanguinis mittẽdi scopi augeãtur, idest, maiores sint, maiorem euacuationem indicare; si diminuantur, tantum detrahendum de sanguinis misione, quãto illi minores euaserint. Quibus verbis innuit Galenus, quòd quanto morbi magnitudo, & vires fuerint maiores, tanto maiorem (intra principium tamen) debemus facere euacuationem per venæ sectionem; eo verò minorem, quo scopi fuerint minores. *Cap. 13.*

Ad vndecimũ patet ex his, quæ à me supra dicta sunt pro responsione ad secundum delictum, quod mihi objectum est ab aduersario.

Ad duodecimũ patet ex responsione ad. 4, quo probare voluit in augmento coctionem non impediri. Cum verò meam rationẽ redarguit, dicens quòd eadem ratione, nec in principiis morborum venæ sectio esset jubenda. Iam suprà à me dictum est, nõ in toto principio debilia illa signa coctionis apparere, sed in vltima illius parte. In qua etiã sanguinem mittimus, donec incipiat apparere manifesta.

Restat tandem satisfacere tredecim argumentis, quibus (meo videri) magis nodum in scirpo

quærit

quærit aduerſarius, quam probet mittendum eſſe ſanguinem in incremento.

Ad primum, iam dixi in mea Apologia, quòd in hoc euentu, licet in incremento venas ſecemus, adhuc tamen in principio quamvis phiſico id facimus. Non enim tunc temporis ſanguinem mittimus tam ratione illius materiæ, quæ iam concocta apparet, quam alterius crudæ, quæ nõdum apparet. Nondum enim tunc perfectum eſt vniuerſale incrementum.

Ad ſecundum, diuerſa eſt ratio ſanguinis miſsionis in febribus, ac in inflãmationibus. Nam in his, cum multiplex ſit eius vſus, poteſt in diuerſis temporibus, juxta diuerſum vſum exerceri. In febribus verò duntaxat in principio, ſiue euacuans, ſiue reuellens ſit.

Ad tertium reſpondetur; & ſi legitimè ratione humoris crudi impedientis, tamen venæ ſectionē in principio eſſe omiſſam, ac proinde in incremẽto opportunè debere fieri. Quoniam concoctio tunc temporis apparens, permixtionem humoris pituitoſi cum ſanguine ſignificat. Nec ideo hic ſingularis caſus quidquam detrahit præcepto vniuerſali euacuandi duntaxat circa initia. Id enim intelligendum, dum modo non ſit aliquod impediens.

Ad quartum, huiuſmodi morbus poteſt eſſe febris hectica peſtilens, de qua Galenus ſcriptum reliquit, in febre peſtilenti vrinam colore, & ſedimẽto ſimilem eſſe naturali. De hac Auic. dixit, cum bono pulſu, & vrina æger tendit ad mortem. Vel poteſt incipere. 1. dic ea febris peſtilens à diaria, ex

3. de præſag. expul. cap. 4.

qua

qua fit permutatio in putridã, quare cessat in morbi processu concoctio.

Ad quintum, sæpe contingit in tertianis in prima, vel secunda die vrinam apparere concoctam, nondum materia morbifica, quæ adest in foco putredinis, venis totius corporis cõmunicata, ac post communicationem statim vrina cruda redditur.

Ad sextum respondetur, in Pleuritide licet respectu inflammationis sputum coctum apparẽs incrementum denotet, cruda tamen vrina principiũ significat morbi venosi generis, ratione cuius tunc sanguinẽ mittimus. Si verò vice versa, vrina in principio sit cocta, & sputum crudum, iam ratione inflammationis sanguis mittitur in principio, non ratione febris, de qua nostra est disputatio.

Ad septimum, ex sanguine siue per vterũ, siue per hæmorrhoidas fluente, euacuationis in principio factæ insufficientia arguitur, quemadmodum in aliquibus post mortem hæmorragia, seu ex naribus copiosus fluxus insufficientiam euacuationis etiam apud vulgus ostendit. Quare cum præsenti adhuc redundantia, diminutus fuerit fluxus, meritò venas tunc secamus, licet in incrementis, aut vigoribus id fiat.

Ad octauum, eadem est solutio quæ ad.3.

Ad nonum, idem est argumentum quod quintum, quare eadem erit responsio.

Ad decimum, si non sufficiẽter fuerit facta venæ sectio in principio, necessariò procedente tempore, adhuc redundantia manẽte, venæ sectio erit exercenda, vt à me sæpe dictũ est. Secus si in prin-

cipio fuerit facta sufficienter, etiam si partitè.

Ad duodecimum, nil probat. Nam Galeni exemplum in illius Aphorismi comment. de aquæ gutta, quo probat remedia semper agere, etiam si nihil in principio efficere appareant, id declarat.

Ad vltimum. Hæ continentes febres, cum absq; putredine sint, ad diarias referuntur, atq; ita coctis vrinis etiam vsque ad animi deliquium sanguinem detrahit Galenus, ne sanguis putrescat, & fiant continentes putridæ.

Sed de his satis.

Soli Lunæ. D.D.